



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

10 Vtrùm fera à me vulnerata, & postea ab alio capta, sit mea, an
cipientis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

fruuntur, possint per aliquam legem ita alicui Magnati addici, vel bono publico seruari, vt non transeant in dominium capientis, dubitari potest. Verius est posse, modò legitima causa subit: vt si alia ratione non posset commodè sumptibus quibusdam necessarijs prouideri. hoc tamen raro in praxi vsu venit. Ratio est, quia lex ob iustam causam potest alios reddere inhabiles ad certæ rei dominium comparandum. Sicut enim actiones humanae subsunt legum dispositioni, adeò, vt per leges possit tibi concedi ius, vel imponi obligatio, aut etiam iniici impedimentum ad aliquas actiones obeundas: ita etiam res externa, earumque dominium & possessio, legum dispositioni subiacer; sic vt ius acquirendi, vel incapacitas, per eas irrogari possit. Hinc quidam sunt incapaces quorundam officiorum, successiones hereditariae, possessionis immobilium, &c.

DVBITATIO X.

Vtrum fera à me vulnerata, & postea ab alio capta, sit mea, an capientis.

- 47 **R**espondent communiter DD. esse capientis, & non vulnerantis. Ita Couar. ad reg. Peccatum p. 2. §. 8. n. 13, & alij, quod patet §. Illud quæsitum, Instit. de rerum diuisione. Sed hoc intelligendum est, nisi ita vulnerata sit vt percussor insequens eam certò esset capturus. Vnde tria requiruntur vt fiat percussor. Primò, vt læserit eam quantum satis ad capiendum. Secundò, vt læsam insequatur. Tertiò, vt moraliter certum sit quòd eam sit apprehensurus. Ratio est, quia tunc habet illam quòdammodò in sua potestate, censetur enim quasi capta: vnde alius non potest illum præuerrere. Secus est quando dubium erat vtrum fera esset euasura: tunc enim fit occupantis; quia adhuc videtur habere suam naturalem libertatem, vt colligitur ex L. Naturalem. §. de Acquir. rerum dominio, vbi dicitur, *ferà recepisse naturalem libertatem, quando difficilis est eius prosecutio.*

Tria requiruntur vt fera ita fiat percussor.

DVBITATIO XI.

Vtrum fera meo laqueo capta sit mea, an eius qui fortè superueniens laqueo exemit & abstulit.

- 48 **C**ouar. supra n. 13, & Nauar. cap. 17. n. 176. adiudicant illam eximenti; nisi contraria sit consuetudo in aliquo loco particulari. Idem sentiunt plerique Doctores, ob L. In laqueum. §. de acqu. rer. domin. vbi insinuat esse eximentis. Confir. quia non acquiritur dominium feræ, nisi per apprehensionem: is autem qui laqueum posuit, nondum apprehendit, ergo, &c. Hæc sententia est probabilis.

49 *Videtur eius qui laqueum posuit.*

- Verius tamen videtur, & rationi naturali magis consentaneum, vt sit eius qui laqueum posuit. Ratio est, quia hic eam apprehendit & occupauit per suum instrumentum, adempta ei libertate naturali: quæ apprehensio sufficiens videtur vt debeat illius ceteri, sicut enim manibus, ita instrumentis aliquid apprehendere possumus, & in nostram potestatem redigere. Fauet dicta L. In la-

queum, §. de acquir. dominio, vbi hic casus ponitur, & respondetur, *feram meam esse, si in potestatem deuenerit*; atqui venit in meam potestatem per meum laqueum. Vnde ad argument. contrar. sententiæ Respondeo, illam legem, si bene expendatur, videri facere à nobis. in alio sensu non puto receptam. Nemo enim est qui non putet sibi iniuriam fieri, si fera sic capta tollatur. Ad Confirm. ille apprehendit per suum instrumentum. quòd si talis apprehensio non est sufficiens ad comparandum dominium, (quod tamen probari non potest) nihilominus satis est ad comparandum ius ad rem; quò tu, exclusis alijs, possis illam apprehendere; ita vt si alius præueniat, & te impediatur à consecutione illius rei, teneatur ad restitutionem. ita Molina disput. 42.

Hic tamen aduertendum est Primò, Si fera se erat extricata, potuisset ab alio occupari; quia tunc non peruenerat omnino in tuam potestatem, nec tu eam habiturus eras. Molina tamen putat tunc æstimandam spem tuam, & ab altero compensandam: quod est satis æquum.

Dices, Si auem cauea conclusam teneam, parumque absit quin erumpat, & tu superueniens eam eximas, mihi est restituenda, quia necdum effugerat: ergo similiter fera laqueo meo capta.

Respon. neg. consequentiam; quia hæc fera nondum facta est mea, cum nondum eam omnino occupauerim: illa autem auis iam antè erat mea; vnde nisi reipsa assequatur naturalem libertatem, mihi est restituenda.

Secundò, Si fera, quam ego persequor, incidat in laqueum tuum, verque habet ius occupandi tu, quia laqueo tuo capta; ego, quia mea industria incidit, nisi enim excitallem, non incidisset, itaque erit alterutrius qui prior illam occupauerit.

Tertiò, Si nassam in flumine intenderim piscibus capiendis, pisces capti mei sunt: eadem enim est ratio quæ laquei, quòd si tu, vbi plena fuerit, exemptis piscibus eam eodem loco vel alibi reponas, quòd secundo loco captum erit, tuum erit, si prior occupaueris. quia etiam meo instrumento, tamen hoc factum tua industria, qui nassam ibi tuo nomine posuisti: meum verò, si ego prior, quia meo instrumento captum. Hoc maxime equitati congruit.

Si in tuum laqueum incidam.

Nassa mea ab alio intercepta.

DVBITATIO XII.

Vtrum vena metallica auri & argenti, censeri debeant in nullius dominio, sicut fera; & fiant primò occupantis.

Notandum est, præter feras, in nullius dominio esse lapillos, gemmas, ambarum, corallium, & similia, quæ in litore maris, vel montorij, vel fluminibus inueniuntur. vnde hæc omnia fiunt primò occupantis, vt patet Instit. de rerum diuisione. §. Feræ. & §. Lapillorum. Sed difficultas est de venis metallicis.

Respon. & dico Primò, Valdè probabile esse, has in nullius dominio censeri. Sorus lib. 5. q. 3. a. 3. & alij.

Probat, quia Principes passum sibi vindicant ius effodiendi hæc metalla, & concedunt priuatis ius ea inquirendi vbi libet, etiam in agro alieno; & bonam partem sibi referuandi, compensatum.

Quæ in nullius dominio.

Metalla auri & argenti in nullius dominio.